

Resp. Neg. *conseq.* de necessitate praecise in re; quia Tridentinum non agit solum de iis, quae necessaria sunt necessitate medii vel in re vel in voto; sed de communi et ordinario modo se praeparandi ad justificationem; alias etiam esset necessitate medii necessarium fidem ex auditu concipere, etc. Sensus verborum symboli tantum est, eum, qui illa mysteria nec implicite credit, sed aliquid negat non posse salvari, si enim sensus explicitus illis verbis tribueretur, sequeretur quod nemo inquam docuit, nempe fidem explicitam omnium mysteriorum in symbolo contentorum esse necessariam necessitate medii in re.

Obj. 6.^o Innocentius XI, damnavit hanc propositionem n. 64. «Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. Jesu Christi.» Unde: in hac propositione declaratur incapax absolutionis ille, qui mysteria Incarnationis et Trinitatis ignorat. Sed non esset incapax, si sufficeret fides eorum in voto. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* argumenti, declaratur incapax, qui illa mysteria ignorat, absolute; neg. Respective ad casum inculpabilis ignorantiae, subdist. Est incapax quoad liceitatem ex parte confessarii; conc. Quoad validitatem ex parte poenitentis; neg. Dixi in casu ignorantiae inculpabilis, nam si culpabiliter ignoraret, nec ante absolutionem vellet poenitens instrui, actualiter graviter peccaret et poneret obicem absolutioni, quam praeterea exponere periculo nullitatis propter probabilitatem contrariae sententiae extra necessitatis casum non licet. Confirmatur declaratione C. S. O. (1), quae dicit: «missionarium teneri adulto etiam moribundo, qui incapax omnino non sit, explicare fidei mysteria, quae sunt necessaria necessitate medii, ut sunt praecipue mysteria Trinitatis et Incarnationis.» Deinde noto *majorem* argumenti non deduci ex propositione damnata; nam deberet inferri ex prima propositionis parte, cum in secunda agat de ignorantia culpabili; sed in prima parte non loquitur determinate de mysteriis SS. Trinitatis et Incarnationis, sed illimitate de mysteriis fidei, quae bene restringi possunt ad mysteria Dei existentis et remuneratoris supernaturalis.

Obj. 7.^o S. Thomas (2) asserit esse necessariam fidem explicitam mysteriorum Incarnationis et Trinitatis. Sed non est facile dissentendum a D. Thoma. Ergo...

Resp. Explico sensum D. Thomae, ait esse necessariam vi praecipi et necessitate medii ut plurimum et per se in re, ut de Baptismo: conc. Semper et exclusive, etiam casu, quo aliquis in-

(1) 28 Febr. 1703.—(2) 2, 2, Q. 2, aa. 7, 8.

culpabiliter ignoret illa mysteria; neg. Angelicum D. loqui de necessitate praecipi saltem praecipue potest probari, quia eodem modo (1) docet teneri hominem credere explicite articulos Christi omnes, qui solemniter celebrantur, quod intelligi non potest de necessitate medii; ipsum autem non excludere sufficientiam fidei implicitae Incarnationis et SS. Trinitatis, quando haec in re haberi non potest, deducitur ex variis locis ejus v. gr. ex 3. Parte (2). «Ante Baptismum Cornelius consequutus est, et alii similes consequuntur gratiam et virtutes per fidem Christi et desiderium Baptismi implicite vel explicite.»

Nota. De praecipto fidei, et obligatione eam profitendi vide auctores theologiae morales.

ARTICULUS V.

De virtute fidei et opposita infidelitate.

THESIS XVI.

Fides ut virtus est habitus intellectus, cui subservit alius specialis in voluntate ad actum fidei imperandum, piamque credendi affectionem.

100. **Nota.** I. Fidem esse virtutem per se infusam et theologiam, jam inde a quaestione praevia (3) constat et confirmatum manet ex disputatis de objecto materiali et formali actus fidei, de supernaturalitate ejus et directe ex Vaticano (4) definiente fidem: «virtutem esse supernaturalem, qua Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus...»

II. Praesupposita communi sententia de distinctione potentiarum ab anima et probabiliori de receptione immediata habituum in potentiis, agimus in thesi de subjecto immediato virtutis fidei, quo sensu thesis est communior et probabilior; si vero ea sumitur quoad modum loquendi et praecisive ab opinionibus philosophorum est omnino certa et corollarium ex dictis.

101. Prob. 1.^o Est in intellectu; nam actus ad quos eliciendos fides infunditur, sunt in intellectu. Sed habitus in potentia eliciente actus, ponendus est; quia illi dat facilitatem et inclinationem operandi. Ergo...

Prob. 2.^o Est in intellectu et voluntate cum

(1) Ibid. a. 7.—(2) Q. 69, a. 4, ad 2, Vid. 2, 2, Q. 10 a. 4, ad 3. Q. 2, a. 7, ad 3. De verit. Q. 29, a. 7, ad 7.—(3) Dico II.—(4) Const. *Dei Filius*, cap. 3, de fide.

D. Thoma (1), quem ita explicat Suarius (2). Quando actus per se pendet a duabus potentiis una eliciente, altera imperante, necessarius est habitus in utraque potentia, ut subjectum sit habitualiter integre dispositum. Sed actus fidei ita pendet ab intellectu et voluntate intrinsece ex vi suae speciei: ergo praeter habitum intellectus requirit habitum in voluntate. *Minor.* ex disputatis de assensu certo et libero fidei est evidens; *major* autem videtur ex terminis nota, quia si causa integra coalescat ex duabus potentiis, et altera tantum habitualiter perficiatur, non potest causa adaequata esse perfecte disposita, et ita effectus ex altera parte claudicabit. Confirm. Quia licet voluntas ad actum credendi comparetur ut potentia imperans, non potest tamen imperare, nisi eliciendo actum volendi credere; sed iste actus supernaturalis est; ergo ut connaturaliter fiat, requirit proprium habitum ejusdem potentiae, non minus quam caeteri actus supernaturales voluntatis.

SCHOLION I.

De natura habitus voluntatis fidei subservientis.

Dico: Habitus voluntatis fidei subserviens est virtus specialis a reliquis distincta, non theologalis sed moralis.

102. Ita probabilius cum Suario (3), contra alios volentes non distingui ab studiositate, ab obedientia aut a religione.

Prob. Quia habet objectum formale speciale, specialem nempe honestatem distinctam ab honestate spectata ab aliis virtutibus. Ergo... *Antec. prob.* Motivum formale habitus piaie affectionis est illa specialis honestas, quae elucet in credendo Deo obscure revelanti, ejusque divinae veritati intellectum submittendo. Sed talis honestas non intenditur ab alia virtute. Ergo... *Minor. prob.* nam studiositas spectat honestatem elucentem in moderando affectum sciendi, ne scilicet propter laborem discendi homo negligat quae scire debet, neque propter curiositatem scire velit quae ad ipsum non pertinent. Obedientia spectat honestatem elucentem in se submittendo voluntati Superioris. Religio tandem eam respicit honestatem, quae elucet, in exhibendo Deo cultum et signa externa cultus ac reverentiae propter summam ejus excellentiam. Sed hujusmodi honestates valde distinctae sunt ab honestate quam prosequitur actus volendi credere, nec possunt assignari virtutes aliae ad quas reducat. Ergo...

Hanc specialem virtutem non esse theologiam sed moralem, constat, quia pro objecto formali habet honestatem actus credendi, non aliquam perfectionem Deo intrinsecam, qualem requirit virtus theologica.

(1) 2, 2, Q. 4, a. 2. (2) De fide. D. 7, sect. 2, n. 3.—(3) De fide. D. 7, sect. 2, n. 10.

103. Obj. 1.^o Paulus (1) actum fidei tribuit obedientiae. Ergo.

Resp. Explico; tribuit obedientiae sumptae in sensu proprio; neg. In sensu improprio; Conc. Fidem enim Scriptura appellat obedientiam, obsequium, etc., eo quod per illam intellectus submittatur et captivetur sub auctoritate Dei. *non ut superioris* sed ut *summe veracis*.

Obj. 2.^o S. Thomas (2) meritum fidei consistere ait in eo, quod homo ex obedientia Dei assentiatur illis, quae non videt. Ergo...

Resp. Explico: ex obedientia generaliter sumpta prout importat inclinationem voluntatis ad implenda Dei mandata in omni virtute, cogita justitiae, temperantiae, etc. Conc. sumpta stricte pro speciali obedientiae virtute; neg.

SCHOLION II.

De habentibus fidem.

104. In compendium ex Platelli (3) breviter dico:

1.^o Angelus et homo in prima sui creatione habuerunt fidem; quia cum essent viatores debuerunt se disponere ad beatitudinem per actus fidei, spei, charitatis, etc.

2.^o Daemones et caeteri damnati non habent fidem proprie dictam, sed aliquam speciem fidei naturalis ortae ex evidentia motivorum credibilitatis.

3.^o Fidem habent justi in purgatorio, cum absolute non sint in termino viae nec adepti sint visionem beatam, quare proprium est eorum cognoscere Deum in speculo, in aenigmate, etc.

4.^o Beati in coelo carent fide: quia saltem de potentia ordinaria (4), imperfectio obscuritatis et formidinis fidei propriae dedecet statum beatificum, testante Paulo (5): *Ex parte enim cognoscimus, et ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfectum est evacuabitur quod ex parte est... Videmus nunc (in hac vita) per speculum in aenigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Unde S. Augustinus (6): «Neque enim jam fides erit (in caelo), »qua creduntur, quae non videntur, sed species, qua videantur, »quae credebantur.»

PP. Aliquando lumen gloriae vocant fidem, sed tunc eam sumunt late pro quavis cognitione infallibili adhaesive firmissima.

(1) Rom. I, 5.—(2) 3, Q. 27, a. 3, ad 2.—(3) Synop. De fide, n. 261.—(4) Nam. de possibili insignes auctores contrarium sentiunt, ut Suarius. De Fide. D. 3, sect. 9, nn. 22, 23. Lugo. D. 2. De fid. nn. 56-57.—(5) I. Cor. XIII, 9, 10, 12, 13.—(6) L. 14. De Trin. c. 2.

THESIS XVII.

Fides actualis supernaturalis stare non potest cum infidelitate formali qualibet ac proinde cum haeresi.

105. Nota. I. Infidelitas late dicta (1) potest intelligi secundum quamcumque contrarietatem ad fidem, qua, scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam, quo sensu etiam comprehenditur infidelitas ejus, qui potuit ac debuit credere, sed non voluit, etiamsi nullum habeat errorem positivum in intellectu.

Infidelitatem voluntariam esse peccatum ex ipsa obligatione amplectendi et profitendi fidem constat. Esse autem magnum peccatum, et secundum quid maximum, probat D. Thomas (2); quia per infidelitatem «maxime homo a Deo elongatur, quia nec veram Dei cognitionem habet; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat ei, sed magis ab eo elongatur.» Hinc redditur ei qui in infidelitate manet impossibilis accessus salutaris ad Deum. Dicitur secundum quid, nempe ratione nocenti, nam ratione malitiae, cum odium Dei opponatur majori bono, nempe charitati, est malum gravius infidelitate.

II. Infidelitas in genere est triplex: a) prima et negativa, eorum nempe qui nihil unquam de fide audiverunt: haec non est peccatum, sed peccati poena. Confirmatur ex propositione Baii a Gregorio XIII damnata: «Infidelitas pure negativa in his quibus Christus non est praedicatus, peccatum est.» b) Contraria, eorum, scilicet qui fidem sibi sufficienter propositam non admittunt, sed pertinaciter rejiciunt ut haeretici. c) Privativa, quia privative opponitur fidei, et est eorum, quibus fides est sufficienter proposita non quidem ut credant, sed ut de ea teneantur inquirere: talis est error in materia fidei ortus ex ignorantia culpabili. Jam vero docet D. Thomas (3), quia peccatum contrariae infidelitatis consistit «in renitendo fidei, hoc potest contingere dupliciter; quia aut renititur fidei nondum susceptae et talis infidelitas est paganorum sive gentilium; aut renititur fidei christianae susceptae, et hoc vel in figura, et sic est infidelitas judaeorum, vel in ipsa manifestatione veritatis, et sic est infidelitas haeticorum.» His adde apostasiam quae late sumpta est defectio a fide per Baptismum suscepta, stricte vero transitus Christiani ad paganismum vel judaismum.

III. Fidem debere esse liberam non coactam constat ex Encyclica

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 10, a. 1.—(2) *Ibid.* ad 3.—(3) 2, 2, Q. 10, art. 5.

Immortale Dei Leonis XIII: «Atque illud quoque magnopere cavere Ecclesia solet ut ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur, quia quod sapienter Augustinus monet: Credere non potest homo nisi volens.» Etiam ex dictis de Baptismo thes. XVIII (1).

IV. Haeresis ut notat S. Hieronymus (2) «graece ab electione, (ab *αρεω* eligo) quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem,» proprie definitur: error contra fidem cum pertinacia in eo, qui se christianum profitetur. Unde ad haeresim requiritur: a) ex parte intellectus iudicium erroneum contra fidem, i. e. directe repugnans alicui veritati a Deo revelatae et ut tali sufficienter propositae; b) ex parte voluntatis pertinacia, sine qua iudicium erroneum non est haeresis, ut patet ex Augustino (3): «Qui sententiam suam, quamvis falsam et perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, nequam sunt inter haeticos computandi.» Haec pertinacia est formale haeresis, error materiale.

Est autem pertinacia ad haeresim requisita, efficax et deliberata voluntas dissentendi alicui veritati revelatae, ut tali sufficienter propositae per Ecclesiam, vel Scripturam, aut aliam generalem fidei regulam, satis probatam ut infallibilem. Sumitur ex S. Augustino: «Nondum illum haeticum dico nisi manifesta sibi doctrina, catholicae fidei resistere maluerit, et illud quod tenebat elegerit (4).»

V. Certum est fidem habitualemente supernaturalem non posse de lege ordinaria esse in haeretico formaliter, constat ex quaestione praevia (5).

Quaestio est utrum fides actualis seu actus fidei supernaturalis possit dari erga unum articulum verum in eo, qui ut haeticus, pertinaciter alium verum articulum negat? Communis sententia respondet negative contra Durandum et Ripaldam (6).

106. Prob. 1.^o Cum D. Thomas (7) hoc pacto: omnis actus fidei christianae dicit ex parte voluntatis affectum efficacem divinae auctoritati sufficienter propositae se submittendi in omnibus: sed talis actus fidei non potest consistere cum qualibet infidelitate formali, etiam circa aliud objectum materiale; nam ex hac parte dicit voluntatis nolitionem se submittendi divinae auctoritati sufficienter propositae circa aliquod objectum particulare. Sed talis

(1) Vol. III. Disq. II.—(2) In Gal. V.—(3) Epist. 162 in cap. *Damnamus*, de SS. Trinitate.—(4) Platelli. Synop. De fide, nn. 274, 275.—(5) Dico V.—(6) De eate super. D. 131, sect. 5.—(7) 2, 2, Q. 5, a. 3; V. Suar. De fide, D. 7, sect. 4. Lugo D. 17; sect. 6.

voluntas habet oppositionem virtualiter contradictoriam, cum affectu universali efficaci actus fidei. Ergo.

2.^o Omnis assensus fidei affirmat, saltem virtualiter, Dei testimonium in omnibus esse infallibilissimum, cui contradictorie repugnat quilibet actus infidelitatis, quo virtualiter affirmatur in aliquo esse fallibile. Sed id accidit quoties negatur mysterium aliquod ut substans Dei testimonio sufficienter propositum. Ergo. Confirm. Stare nequit observatio alicujus praecepti ex amore Dei super omnia, cum actuali transgressione alterius graviter obligantis; quia iste amor dicit voluntatem nihili faciendi quod Deo graviter displiceat; ergo etiam stare nequit assensus fidei proveniens a pia affectione universali credendi omnia firmissime propter solam Dei auctoritatem, cum haeresi seu qualibet infidelitati formali circa quodcumque objectum (1).

107. **Corollarium.** Ergo absolute et ex natura rei actus fidei divinae est impossibilis cum infidelitate qualibet formali.

Deducitur ex repugnantia virtualiter contradictoria in probationibus assignata, et ita communius asserunt theologi contra Hurtado, qui vult repugnantiam oriri ex decreto Dei nolentis infideli in uno articulo dare auxilium ad alia credenda.

108. Obj. 1.^o Haereticus non negat divinam revelationem esse infallibilem, sed solum talem articulum esse revelatum. Ergo non est injuriosus divinae auctoritati.

Resp. Dist. *antec.* Non negat etc. formaliter et explicite. Conc. Virtualiter et implicite; neg. Sicut faceret Regi gravem injuriam, qui Regis testimonium sufficienter propositum respueret, ita qui in aliquo rejicit auctoritatem Dei sufficienter manifestatam gravem injuriam ei irrogat, eum mendacem habendo.

Obj. 2.^o Si catholicus fit haereticus eodem modo ac antea credit articulis veris quos retinet. Sed antea credebat fide supernaturali. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* eodem modo quoad facilitatem, adhaesionem, materialiter et naturaliter inspectam; conc. Effective et formaliter; neg. Nam ista facilitas non oritur ab habitu supernaturali fidei qui solum dat simpliciter posse, non autem facile posse (2).

Obj. 3.^o Si pia affectio efficax et universalis movet ad credendum omnibus sufficienter propositis ut revelatis, etiam virtualiter movet ad judicandum vera esse omnia quae sufficienter proponuntur ut revelata. Sed hoc non est verum cum aliquando possit sufficienter proponi falsum. Ergo.

(1) Platelli. Synop. De fide, n. 267.—(2) V. Q. praev. Dico I. Quares I.^o et 2.^o

Resp. Neg. *maj.* ex dictis de certitudine actus fidei cui repugnat falsitas. Aliud enim est debere credere ex motivo universali sufficienter proposito, verum vel putatum articulum, qui sub illo exhibetur; aliud judicare verum esse infallibiliter quidquid ut sufficienter revelatum proponitur in omni casu, cum hoc ultimum non contineatur in illo primo.

Obj. 4.^o In fide humana possum in una re alicui credere, dum in aliis ejus auctoritatem rejicio. Ergo et in divina.

Resp. Neg. *conseq.* propter disparitatem; fides enim humana non nititur praecise auctoritate dicentis, nec imperatur a voluntate universali se illi in omnibus subjiciendi, sicut divina.

SCHOLION I.

De errante in fide ex ignorantia.

Dico: Qui errat in fide ex ignorantia culpabili etiam crassa et affectata non est haereticus, nec infidelis infidelitate pellente habitum fidei, licet contra eam peccet.

109. Est S. Thomae (1) et plurium contra alios.

I.^a Pars. Qui errat ex ignorantia culpabili non est haereticus.

Prob. Qui tenet errorem, putans, quamvis culpabiliter, saltem non esse difformem doctrinae Ecclesiae, aut veritati revelatae ut tali, non est pertinax. Sed pertinacia ex communi Doctorum consensu cum Augustino aliisque Patribus requiritur ad haeresim incurrandam. Ergo. *Maj.* prob. a) Ex definitione pertinaciae. b) Quia talis error non solum compatitur sed etiam necessario supponit voluntatem efficacem credendi omnia, quae per Ecclesiam sufficienter proponuntur ut revelata: alioqui non esset ex ignorantia ut causa. Ergo nullo modo importat imo nec compatitur pertinaciam, qua resistatur, Ecclesiae. Quod etiam verum est de errore ex ignorantia affectata, cum etiam sic errans supponatur ideo velle Ecclesiae definitionem ignorare, ne cogatur suum errorem deponere.

II.^a Pars. Nec infidelis infidelitate pellente habitum fidei. Sequitur ex prima parte et prob. 1.^o quia talis non est infidelis proprie et simpliciter, i. e. infidelitate in aliquo rejiciente objectum formale fidei sufficienter propositum, quae sola repugnat assensui fidei juxta Tridentinum (2).

2.^o Quia cum talis habeat piam affectionem efficacem et universalem credendi omnia, sibi per Ecclesiam sufficienter proposita ut revelata, potest quantum est ex parte dispositionum intellectus judicantis omnia sufficienter proposita esse credenda, et voluntatis piae motae, circa articulos in quibus non errat, elicere veros assensus fidei. Ergo non est cur privetur habitu.

(1) 2, 2, Q. 11, a. 2 ad 3; 1 Q. 32, a. 4.—(2) Sess. 6, cap. 15.

III.^a Pars. Peccat contra fidem. Quia peccat contra praeceptum fidei de adhibenda sufficienti diligentia, pro sciendis veritatibus a Deo revelatis et ut talibus ab Ecclesia propositis; sicut is qui absque errore positivo ignorat mysteria, quae ex fidei praecepto tenentur scire.

110. Obj. 1.^o S. Augustinus (1) ab haeresi solum excusat errantes, qui tota sollicitudine quaerunt veritatem: ergo censet errantes ex ignorantia culpabili esse haereticos.

Resp. Neg. assertum, verum quidem est quod ibi de illis tantum agit; alios tamen nec ibi, nec alibi haereticos esse dicit, sed potius oppositum significat loco adducto in praenotatis.

Obj. 2.^o S. Thomas (2) dicit, ab errore haereticum faciente neminem excusari, propter simplicitatem aliquam quoad mysteria communissime nota et per Ecclesiam solemnizata. Ergo.

Resp. Explico, neminem excusari communiter et ut plurimum; conc. Semper absolute; neg. Solum enim vult quod circa illa mysteria numquam contingat ignorantia excusans ab haeresi ordinarie, non autem aliquando, cum aperte in locis citatis in praenotatis contrarium habeatur.

Obj. 3.^o Actus de se graviter malus commissus ex ignorantia graviter culpabili, est formaliter peccatum mortale repugnans charitati, eamque expellens; ergo similiter error circa mysteria revelata ex ignorantia graviter culpabili, est formaliter peccatum haeresis, repugnans fidei eamque expellens.

Resp. Transmisso *antec. neg. conseq.* propter disparitatem, nam ignorantia in casu *antecedentis* non tollit *voluntarium rei graviter malae* sufficiens ad mortale, in casu vero *consequentis* tollit seu potius evitat *voluntarium negandi formaliter* aut *virtualiter infallibilitatem Deo aut Ecclesiae*, sine quo haeresis non habetur.

Obj. 4.^o Transgrediens mandatum divinum ex ignorantia graviter culpabili, contemnit auctoritatem Dei praecipientis, ideoque committit formale peccatum inobedientiae, ejusdem speciei cum admissio ex certa scientia: ergo qui ex simili ignorantia dissentit revelatis, contemnit auctoritatem Dei revelantis: Ergo.

Resp. Disparitatem esse, quia *nolle inquirere* jam ex se est transgredi divinum mandatum et ideo peccatum est *nolle inquirere revelationem*; cum hac tamen mala voluntate stat non modo *non negare* sed etiam *nolle negare* infallibilitatem Dei et Ecclesiae, uti ad haeresim requiritur; quare in proposito casu, auctoritas Dei contemnitur non in se et proxime, sed remote et indirecte in sola obligatione inquirendi veram revelationem.

Obj. 5.^o Qui aliquem percutit, dubitans an sit rex, formaliter aut saltem virtualiter et in actu exercito contemnit regem, eique facit veram injuriam: Ergo similiter qui negat aliquam propositionem, dubitans an sit proposita ab Ecclesia ut revelata a Deo, formaliter aut saltem virtualiter contemnit et in actu exercito negat Dei aut Ecclesiae infallibilitatem.

Resp. Dist. *conseq. negligendo inquirere* de revelatis; conc. Negando infallibilitatem Dei aut Ecclesiae; neg.

(1) Epist. 162.—(2) In I, Cor. II, lect. 4.

Obj. 6.^o Qui affectat errare ex contemptu auctoritatis Ecclesiae est haereticus: Ergo et qui auctoritatem Ecclesiae culpabiliter nescire vult.

Resp. Dist. *antec.* Est haereticus praecise per errorem ex tali ignorantia; neg. Per iudicium praecedens, quo negatur articulus infallibilitatis Ecclesiae; conc. (1).

SCHOLION II.

De dubitante in fide.

Dico I. Dubitans in fide deliberate et positive est formaliter haereticus.

111. Ita communis sententia theologorum cum D. Thoma (2).
Prob. 1.^o Ex cap. 1 De *Haeresi*, ubi dicitur: dubius in fide est infidelis.

2.^o Quia talis iudicat articulum revelatum, et ut talem ab Ecclesia sufficienter propositum, non esse certum. Sed iudicare id quod est sufficienter ab Ecclesia propositum non esse certum est negare infallibilem Dei aut Ecclesiae auctoritatem quod haereticum est. Ergo.

Dico II. Etiam dubitans negative seu mere suspendens assensum erga sufficienter tamquam revelata proposita, propter motiva in contrarium voluntatem trahentia, est formaliter haereticus.

112. Ita probabiliter contra alios quos sequuntur Sanchez, Malderus, Diana, etc.

Prob. Quia talis interpretative et virtualiter iudicat mysterium revelatum non esse certum. Ergo. *Antec. prob.* Nam ideo renuit consentire proposito articulo, ne assentiendo erret et minoris faciat motiva quae eum ad suspensionem trahunt. Sed talis aequivalenter affirmat motiva contraria esse tanti ponderis, ut reddant dubiam seu non certam propositam veritatem revelatam. Ergo (3).

Qui circa articulum fidei elicit assensum opinativum tantum, est haereticus, si assensus sit formaliter formidolosus: tunc enim formaliter negat Dei vel Ecclesiae infallibilitatem; secus, si solum virtualiter et permissive; sic enim infallibilitatem non negat, sed solum non excludit ejus negationem (4).

Haec de fide, quae si *per charitatem operatur* (5) unice valet in *Christo Jesu*. In tanta modernorum errorum et vitiorum colluvie eam in nobis Deus conservet (6) *donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.*

(1) Platelli. Synop. De fide, nn. 276-284; Suar. D. 19, sect. 3, De fide.—(2) 2, 2, Q. 10, a. 7.—(3) Suar. D. 19, sect. 4, n. 10.—(4) Ibid. n. 16.—(5) Gal. V, 6.—(6) Ephes. IV, 13-15.